



RECTOR
ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS,
JOH. ANDREAS
QVENSTEDT,
SS. THEOL. D. ET PROFESS.
PUBL. FACULTAT. THEOL. SENIOR,
CONSISTORII ECCLES. ASSESSOR ET
TEMPLI OMNIUM SANCTOR.
PRÆPOSITUS,

CIVIBUS ACADEMICIS
S.P.D.





Infinitis exoptatum
votis diem! qui nostras nobis reddi-
dit delicias, **SAXONICI ELE-**
CTORATUS grande pignus,
Principem non solâ, velut olim,
spe, sed re talem, qualem à divinâ Providentiâ
precati sumus, Serenissimum Augustæ Domûs ju-
bar atqve Dominum, **DN. JOH. GEORGIUM**
IV. in quo **FRIDERICUM** *Sapientem, Incompa-*
rabilem **AUGUSTUM** nobis pollicemur. Hic,
si vixerit, (ô vivat, vivat diutissimè! ô vivat fel-
cissimè!) solabitur lugentes Musas, & nitori pri-
stino restituet. Proh fidem Numinis! quæ circa
Ejus abitum in regiones exteras anxietas? cum
ex mente *Socratis* (interrogati, cujatem se ferret?)
mundanum respondisset, se existere: id est, cum
desiderio proficiscendi flagrantissimo accensus,
in communi patria, *Germania*, hæere nollet
amplius; sed animo ad cœli terrarumqve quasli-
bet injurias invicto, florentissima Europæ Regna,
Gallias, Britanniam, Daniam cum *Belgio* fidissimi
Achatis accuratioribus consiliis auxiliisque usus,
perlustrare destinasset. Videlicet non coërce-
tur generosior Leonum impetus minutis caveis:
aranearum casses & latibula contemnit Aquila,
nubesqve inter volitat, & motu gaudet: ita pe-
regrinatoris Principis excelsa mens non nostris
sub-

subditorum contineri lacrimis curisque poterat. Sederat immotum hoc propositum, itineri se dare, salutare reverenter Maximos Monarchas, Atlas horum, Urbes, Academias, theatra generis humani, & compendia totius orbis regia, *Lutetiam Parisiorum, Londinum, Amstelodamensium* divitias invisere. Implemur admirationis, si, quemadmodum obstantia, ut videbantur à tyrannide religionis, fata vicerit pervaseritque salvus, in *Francorum* ad occasum terris, cogitamus. Nunquam illius trepidavit pietas, nec hæsitavit virtus: exultabat florens, providus, innumerorum hominum & mores & ingenia inspiciebat. Longè aliter ac solet vulgus; quod, dum à domo suâ, sæpè simul à seipso etiam peregrinatur, inhiat cupiditatum stimulis, affectibus succumbit, obiter duntaxat contemplatur incurrentia in sensus, & stultitiæ dat pœnas tandem. Aliis omninò inanitus cogitationibus divinus Nostri spiritus, ad imperandum aliquando natus, & huc temporis feliciter formatus. Sapientiam interiore recipit amplexu; non virus imbibit peregrinorum vitiorum, non vanitatis sequitur aucupia: scrutatur potiùs arcana, leges, artes, & consilia rerum publicarum: quantum valeant potentiores Civitates? quantum operè ingenii, aut antiquitatibus excellent? quæ commercia, quæ fœdera jungant nationes? diligentius vestigat. Hæ illius animum coquebant curæ; hæc meditamenta **PRINCIPEM SAXONICUM** ad ardua cogeant. Rediit cœlesti operâ incolumis, scientiis instructior, prudentiâ illustrior, amore Regum Principumque Sacratissimorum certior. Debentur

sup-

supplicationes Deo, Serenissimis Parentibus & Domui Augustæ gratulationes, Ducis reduci victura monumenta, gaudia post *Dresdam Wittebergæ* devotissimæ. Has occupabit partes maximâ vehendus laude Generosior & multis Nobilissimus nominibus ex Equitum Saxoniorum primâ dignitate Juvenis, D. N. MAGNUS LOESER; cujus gentem antiquissimam ingentibus illustrem meritis in SAXONES Augustos si excolere, & ad inclytos jam sub *Henrico Aucupe* excurrere Progenitores *Rehefeldios* (hoc enim nomen ad id temporis ferebant, qui LOESERI hinc cognominati ante tria secula & amplius fuerunt) vellemus, Soli lumen mutuari videremur. Sola, EINSIDELIORUM stirpe nata, supra sexum dotibus omninò eminens Generosissimaq; Mater, MARGARITA SYBILLA, Domina in *Clöden, Reinharts & Meuro*, à SAXONICI ELECTORATUS quondam Hæreditario Mareschallo, Vidua, heroicis virtutibus, scientiis rarioribus Lingvisq; admiranda, quæq; fidem possit facere, *Palladem cum Gratiis* non extitisse tantum olim, sed in media, quæ est cultissima, Germania adhuc reperiri, sufficit. Is verò hodiè, peractis pomeridianis sacris, in majori Auditorio, solenni ritu Panegyricam ex cathedra Orationem declamabit, probaturus pietatem pariter lætitiâq; Optimis & Maximis Principibus, conceptam super reditu exoptatissimo. Vos, CIVES ACADEMICI adeste postea frequentiores, & elegantissimè dicturo aures atq; animos benigniores exhibete.

P. P. Dominicâ II. A D V E N T. CHR.

Anno reparatæ gratiæ c l o l o c

XXCVI.



24

RE
ACADEMIAE
JOH. A.
QVE
SS. THEOL.
PUBL. FACULT
CONSISTORII
TEMPLI
CIVIBUS

ENSIS,
AS
FESS.
ENIOR,
RET

